

CONCIO II.

NIMIA SOLLICITUDO PRO REBUS FLUXIS ABLEGANDA.

I. Quia nemo potest duobus dominis servire. — II. Quia qui dedit majus, dabit et minus. — III. Quia pascit volatilia et vestit lilia. — IV. Quia nimia sollicitudo est frustranea. — V. Quia gentiliū est ista sollicitudo. — VI. Quia Deus pater noster est. — VII. Quia regnum cælorum vult nobis dare. — VIII. Quia ex pacto promisit nobis sustentationem.

THEMA.

Dico vobis: Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.

Math. VI.

Merito exclamat super hoc evangelium S. Petrus Chrysologus episcopus Ravennas: « O quantum se superna pietas, hominis amore deponit! Nam qui poterat præcepta sua sola auctoritate firmare, toto insinuat et adstruit labore doctoris: ut qui sufficiebat in sola fide promissionis suæ terminum collocare, auditores ad fidem promissi suasoris perducit exemplo. » Sic ille, merito inquam: « Tantum enim principis verbum ad fidem servandam, valere debet, quantum valet privatorum jusjurandum, » ut dicebat Alphonsus rex Aragonum, Panorm. lib. I. de ejus dictis et factis. Et si tantum valet verbum principis, non plus valeat verbum Dei? Poterat ergo Christus uno verbo uti ad promittendam nobis alimoniam, et nos contenti esse deberemus: quia verbum Dei plus quam juramentum est. Nihilominus tamen (o bene!) persuadere nobis voluit multis suavissimis argumentis, ut fidem dicenti haberemus, et nimiam sollicitudinem nostrarum necessitatum in ipsum jactaremus.

Quando igitur Dominus dignatus est suadere, quod potuit mandare, audiamus arrectis auribus suavissimum oratorem.

I. Quia: *Nemo potest duobus dominis servire, Deo et mammonæ; quisquis autem nimia sollicitudine rerum terrenarum distinetur, ad Deum et cælestia attentus esse non potest; aut enim Deum amat, et terrena contemnet; aut hæc amat, et illum spernet.* S. Cyprian. I. de duod. abusionibus sæculi, locum illum Matthæi explicans, ait: *Quemadmodum iidem oculi cælum et terram pariter nequaquam aspiciunt: ita mundi amor et Dei pariter in uno corde habitare non possunt.* Ratio, quia tria potissimum insunt divitiis, cum dominantur homini, quæ a Dei obsequio magnopere dissident. Primo enim, conservari, augeri et magnificari volunt; at Deus præcepit, ut fideliter administrarentur, in egenos erogentur,

et spernantur: secundo, amantium corda ad se trahunt: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum,* ait Dominus; at vero idem præcipit: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere:* et rursum: *Fili, præbe cor tuum mihi:* denique, sollicitudinem, timorem et diffidentiam secum advehunt; Deus autem hæc a nobis longe vult abesse, dicens: *Nolite solliciti esse.*

II. Quia qui dedit id, quod majus est, dabit et id, quod minus est. Dedit autem nobis Deus animam et corpus. Atqui: *Nonne anima plus est quam esca, et corpus quam vestimentum?* ait Dominus: dabit ergo et hæc, quia longe minora sunt. Vulgo dicimus: *Qui dat equum, dat et frænum,* præsertim si dono det equum: cur ergo non idem speremus a Deo; præsertim, quia nobis nihil cooperantibus animam et corpus dedit? Quanto magis ergo nobis non cooperantibus animam et corpus dedit; tanto magis ergo victum et vestitum nobis cooperantibus? Vim hujus argumenti cognoscamus in Adamo et Eva, quibus ante creationem suam præparavit mundum hunc, velut domum magnificentissimam. Cognoscimus in infantibus, quos alit in matris utero, et quibus cum nascantur statim parat cellaria et culinam, matris uber videlicet. Unde hæc? Quia qui dedit animam et corpus, idem dat etiam victum et vestitum. Sed parum est dedisse nobis corpus et animam, dedit etiam unigenitum Filium suum, dedit nobis sanguinem ejus, dedit eundem, et dat quotidie in eucharistia: negabit ergo, quæ sunt viliora?

III. « Respicite volatilia cæli: quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea et Pater vester cælestis pascit illa: » et rursum: « Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent, etc. » Si ergo Deus pascit bruta animalia et talia quæ rapinis non intendunt, nec annonam sibi corrogant, nec ab hominibus pascuntur, uti aves, cicures, sed absque omni cura liberrime per aerem volitant: in specie vero corvos, quos inducit Dominus, apud Luc. c. XII. aves edacissimas, et quæ deseruntur in nido a parentibus: rursum si lilia agri ultro crescunt, absque hominum industria, ita vestit, ut splendorem Salomonis superent, cum tamen hodie sint, et cras metantur, ac mittantur forte in clibanum, quanto magis faciet hoc hominibus, quorum se patrem asserit? Idcirco enim non ait: Deus pascit illa, sed: *Pater vester cælestis pascit illa.* Certe singulæ animantium species diversis utuntur cibis, et de his tamen provisum est singulis; licet aliquæ victum suum quærere non possint. Sunt enim aliquæ, quæ ad saxa adhærentes immotæ nutri-

untur solo tactus sensu notabiles, aliæ deseruntur a parentibus, ut corvorum pulli, qui idcirco dicuntur *invocare Deum*, Psalm. CXLVIII. et interrim aluntur rore cœlitus demisso, ut vult ibi Lyra. Hieron. Chrysost. et Isid. lib. XV. etym. c. VII. aliæ e nidis ejiuntur, ut aquilini, qui colliguntur et nutriuntur ab ossifraga. Inter cætera, mira imprimis Dei providentia apparet erga alcyonem, aviculam maritimam, paulo majorem passere, ut Plin. I. X. c. XXXII. scribit, quæ in litoribus et ipsa maris arena nidum et ova ponit, ac circiter mediam hiemem pullos excludit. Quis non existimet, nidum una cum pullis interim a mari abripiendum, vel fluctibus mergendum? Verum, res mirabilis, tum temporis in alcyonis gratiam (ut videtur) silent venti omnes tumidaque placantur æquora, idque diebus quatuordecim, quos alcyonios vocant nautæ, quibusque alcyon ova et excludit, et pullos nutrit. Norunt nautæ dies illos, quibus et audacter mari se concredunt, probe scientes, tutam iis fore navigationem, præsertim in mari Siculo, ubi id semper evenit, teste Arist. I. V. hist. anim. c. VIII. Plinio, I. X. c. XXXII. « Quid igitur a Deo tu (sic fere scribunt hanc in histor. Basil. ho. VIII. hexam. Ambr. I. V. hexameron, c. XIII.) etiam præter omnium spem, etiam summis malis pressus non exorabis, quem imagini suæ similem esse voluit, quando alitis tam exiguæ gratia, mare tam vastum, tam terribile, tamque sævum media hieme tranquillum pacatumque efficit? » Aliud ejusdem providentiæ argumentum scribitur de ceto, qui cum ad nimiam pinguedinem pervenit, amplius nec audire potest, carniū mole sensus obstruente. Itaque natura ducem ei assignavit, piscem albo colore, prælongo capite, angusta cauda, qui nunquam a ceto separatus meare cernitur, sed ejus caput antegrediens, quasi temo et dux ejus existit: cuncta illi præsentit et providet, extremaque cauda præmonstrat tum declinanda, tum persequenda: cibatum ei conciliat, insidiasque a piscatoribus positas signo prodit, et ubi occurrunt breviter, ne propter molem corporis in illis hæreat, tempestive præsignificat, ut alio meatum declinare possit. Quod si eo duce careret, haud dubie illi pereundum esset, Ælianus, lib. II. hist. animal. c. XIII. Quis itaque non miretur Dei providentiam, qui vastissimæ maris belluæ, piscem alium exiguum, motus, victus, vitæque ducem et rectorem dedit? Quanto igitur magis providebit Deus hominibus de necessariis et imprimis angelum custodem, qui eum dirigat et gubernet? Si enim brutis, quæ beneficium et creatorem suum non agnoscunt, nec laudare illum possunt, adeoque providit, annon

majorem curam habeat de hominibus, qui eum agnoscunt et adorant, eique gratias agunt? Certe si ingrediens aulam regiam, videres imprimis apparatus plurimas mensas, cibis variis instructas pro stabulariis, venatoribus, coquis, satellitibus, etc. nonne mox cogitares, multo certius pasceandos ibidem esse amicos et filios regis? Quoniam ergo videmus in hac mundi aula omnibus creaturis mensas apparatus et necessaria propo-
sita: quid nos diffidimus?

IV. Quia nimia illa cura et sollicitudo frustranea est, quod indicatur illis verbis: *Quis vestrum cogitans, seu cogitando, ut habet Lucas, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* q. d. id quod minimum est, v. g. cubitum unum stature adjicere, seu crescere, non potestis efficere vestra sollicitudine, vestris curis et cogitationibus, multum enim et diu cogitabitis, antequam cogitando crescatis? Quid igitur solliciti estis de cibo, potu et vestibus, quando hac sollicitudine nihil potestis efficere, nisi Deus dederit, qui vobis incogitantibus crescere vos facit? Colligimus hinc sollicitudinem hanc vetitam, versari fere in cogitationibus tantum. Quid autem prodest, sollicite cogitare semper quomodo navis tua oneraria appellat, quomodo fruges conservantur, quomodo debita tibi solvantur, quomodo domus te absente servetur? Quid enim hæc curæ pro-sunt? Quis nescit, quam inanes fuerint cogitationes divitis illius, qui dixit: *Destruam horrea mea, etc.* In ipsa enim nocte vocem Dei audivit: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te et quæ parasti, cujus erunt?* Nec solum frustranea, sed insuper noxia est ejusmodi anxietas, corpori et animæ: lædit enim valetudinem, abbreviat vitam, arcet somnum, et perpetuo angit animum. Sed majora adhuc damna parit animæ; nam obscurat intellectum, quominus divina cernat, Dei scilicet providentiam ac veritatem promissionum: non aliter ac nubes lucem solis nobis aufert. Voluntatem tædio afficit erga eadem divina, enervat fidem, spem et charitatem in Deum, suffocat sementem patrisfamil. seu verbum Dei, distrahit in oratione, perdit tempus, et quandoque ad desperationem abripit, veluti mulus ille Absalonem, et capillis curarum ac perplexitatum involvit implicatque: unde postea non difficile transfoditur a dæmone triplici illa lancea, concupiscentia carnis, oculorum, et superbia vitæ. Probe hoc sciverunt Ægyptii, qui idcirco imposuerunt Hebræis onus et sollicitudinem conquirendarum palearum, quo nimirum avocarentur a sacrificiis suis et profectioe ad terram promissam, Exod. V.

V. Quia hæc omnia gentes inquirunt, q. d. Domi-

nus: Vos Christiani, amici Dei estis, quibus longe plus debet, quam infidelibus, qui eum nec colunt nec agnoscunt, nec providentiam ejus credunt; et idcirco mirum non est, si de sua sustentatione sint solliciti; vos autem creditis et Deum omnia sapientissime et rectissime gubernare, et eidem fideliter servitis. Decet sane ex hoc capite, ut fideles longe magis in Deum confidant, quam gentes: et propterea Deus fidelium spem et confidentiam in ipsum sæpe variis modis probavit. Hinc enim voluit, ut diem sabbati colerent: voluit, ut manna non nisi in unum diem colligeretur, et si quid amplius ab aliquo collectum foret, ilico vermibus scateret, Exod. XVI. Jussit, ut septimus annus requietionis esset, hoc est, ut quovis anno, septimo nec sererent quidquam, nec putarent vineam, Levit. XXV. Promiserat enim Deus, manna se quotidie daturum, et terram septimo anno sponte germinaturam. Hinc denique voluit nos in oratione petere non annum, sed *quotidianum panem*. Si enim credimus Dei providentiam, decet, ut de eadem etiam bene et firmiter speremus, præsertim quia Christiani sumus, et oculus Domini super justos maxime vigilare scimus. Alioquin quid a gentilibus differimus nisi solo nomine? Quibus et hoc addendum, si Deus etiam infidelibus de necessariis rebus et sæpe mirabiliter providet, non providebit Christianis? Si corvos illos, Turcas pascit sanguini insidiantes: et si fœnum, quod eras in clibanum mittitur, id est, ethnicos, Judæos et peccatores publicos sic vestit et ditat, cur non Christianos sibi servientes donet rebus necessariis? Imprimis in Ægypto, ubi pluvie per æstatem nullæ sunt propter regionis situm, Nilus quotannis inundans limo pingui obducit, et rigat agros, quantum satis est maturandis frugibus. Insulæ cuidam Canariæ, quæ Ferri dicitur, omni aqua dulci destitutæ subvenit divina providentia arboris cujusdam præsidio, cujus ea est natura, ut assidue instar fontis, dulci humore stillet, qui hominibus et pecoribus ad potum sufficiat, ut scribit Lessius, l. I. de providentia. In Arabia Ægypto contermina circa urbem Aden, nulla prorsus aqua neque a cælo pluit, neque e terra manat; at nihilominus omnia cælesti nocturnoque rore virescunt, et mirum in modum adolescent, Andr. Corsalius. In Cappadocia, Media et Thracia, in defectu apum, mel ex arboribus stillare scribit Ælianus, l. V. c. XLII. idem de India scribit, l. XV. c. VII. In remotioribus septentrionis partibus ob continuum ac sævum frigus, scribit Olaus M. lib. XXIV. hist. cap. XV. defectum esse lignorum: itaque magnorum ibi copia piscium est e quorum costis domus

fabriantur, ut sic ligna sufficere ad focos alendos possint. Ad montem Cassium, ait S. Basilius, hom. VIII. hexam. quotannis locustæ nascuntur innumeræ certo tempore, quæ depascunt segetes. Quare providit Deus certum genus avis, *seleucis* dictum, voracissimum, quod illas devorat, et agros peste hac liberat. In Ægypto magna est aspidum copia. Huic pesti providentia divina opposuit ichneumonem, gliris instar animalculum, quod illas conficit, Less. ubi sup. In Thesalia tantæ serpentum copia est, ut nisi a ciconiis (quæ illic plurimæ et sacre sunt ob beneficium) perimerentur, indigenas migrare oporteret, Plin. l. X. c. XXIII. Aristoteles de admirab. c. XXII. Denique, Evagrius, c. VI. hist. eccl. narrat temporibus Martiani imperatoris, et Concilii Chalcedonensis tantam fuisse in Phrygia, Galatia et Cappadocia pluviarum penuriam, ut deficientibus frugibus terræ homines se invicem devorarent, ex quo orta est sæva lues, quæ multa millia hominum absumpsit. Verum iratus Deus misericordiæ interim recordabatur, et reliquis qui supererant hominibus, misit illic manna de cælo per annum integrum: anno vero sequente produxit terra sponte et absque cultura fructus optimos. Ex quibus omnibus patet, quam Deo curæ sint homines, etiam impii et infideles, ut hinc erigi in certam et longe majorem spem omnes Christiani debeant.

VI. *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Si enim Pater noster est, quomodo oblivisci filios suos potest? *Numquid oblivisci potest,* inquit Dominus, Isa. XLIX. *mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Quære ab aliquo puero inquit card. Bellarm. conc. in domin. Lætare: Quid facies, cum ista vestis detrita et consumpta fuerit? Tu parvulus es, pecunias non habes, artem faciendarum vestium non tenes, quid igitur ages? Quo te vertes? Nudus sis in posterum necesse est. Sed non terrebit eum: habet enim responsionem in promptu: Pater meus, dicit, sollicitus erit de hoc, et nihil mihi deesse patietur. Cur igitur, auditores, non tantum nos Deo confidimus, quantum in suis parentibus confidunt pueri? Respondebit aliquis, ideo sollicitum se esse de victu et vestitu, cæterisque necessariis, quia his opus habet: « Esto, inquit S. Chrysostom. hom. XIII. in Matth. sed ideo magis confidas, et minus sis sollicitus oportet; quia si superflua essent, non est cur a Deo expectes tibi de illis provideri, etc. »

VII. Quia Deus regnum cælorum dare nobis statuit, ut ostendunt illa verba: *Quærite ergo primum regnum Dei,* quanto magis suppeditabit hæc

temporalia et infima, imo *adjiciet*, ut ait Dominus tamquam vilia videlicet et quæ nihili sunt apud Deum? Eodem pertinet, quod subjicit, Luc. II. *Nolite timere pusillus grex,* (ne videlicet desint vobis vitæ necessaria) *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

VIII. Quia promisit nobis Deus necessariam sustentationem ex pacto, si nos videlicet quæramus primo, regnum Dei, cum dixit: *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Videtur enim dicere nobis, quod S. Catharinæ Sennensi dixit: *Cogita de me, et ego cogitabo de te.* Sic dicere solet pater filio: Tu ad scholas vade, et diligenter stude: et cætera quæcumque tibi necessaria sunt ego procurabo, vestes, victum, libros ac denique pinguem conditionem. Ita hic agit nobiscum Deus. Quæro igitur ex te, an fidem Deo tecum sic paciscenti habeas? « Si tibi, ait loco cit. Bellarmim. Judæus aliquis mille vel duo millia coronatorum polliceatur, et syngropham ab eo scriptam et consignatam habeas, absque ulla sollicitudine dormis, et tamen quid aliud miser, quam syngropham unius infidelis habes? At vero non unam sed multas Dei syngrophas habemus, quibus nobis omnia ad vitam sustentandam necessaria pollicetur: et tamen solliciti ita sumus, quasi Deum vel impotentem, vel mendacem, vel deceptum esse crederemus. » Sic Bellarm. Quot in hodierno evangelio habemus ejusmodi syngrophas?

Quare sit jam finis querelarum, sit finis anxietatum, sit finis diffidentie: quia non possumus his vacare simul et Deo: quia qui dedit vitam, dabit et vitæ necessaria: quia qui pascit aves, et vestit flores, faciet idem vobis: quia inanis et noxia est talis sollicitudo: quia gentium, non Christianorum est, talia quærere: quia scit Pater vester, quod his omnibus indigetis: quia idem decrevit vobis regnum suum: quia denique vobis ex pacto sese obligavit. Quærite ergo primum regnum Dei, etc.

CONCIO III.

LILIA AGRI QUID NOS DOCEANT.

I. Docent non confidere in mundo: 1. Non in homine. 2. Non in generis splendore. 3. Non in incerto divitiarum. 4. Non superbire in vestitu. 5. Non confidere vitæ. — II. Docent confidere in Deo. — III. Docent modum proficiendi in bono. — IV. Docent Ecclesiam exornare virtutum splendore. — V. Docent suspirare ad cælum.

THEMA.

Considerate lilia agri. Matth. VI.

Sponsus animarum nostrarum, Christus, au-

ditores, per os Salomonis, Cantic. VII. laudat sponsam suam Ecclesiam per omnia fere membra. Inter alia de ventre ejus ita loquitur: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Videtur autem his verbis, meo sane judicio, commendare velle in sponsa sua magnam et securam confidentiam, quam in ipsum sponsum habet. Venter enim, qui quotidianum suum tributum, victum et amictum exigit, quid, quæso, nisi necessariam corporis sustentationem indicat? Poterat ergo sponsa, et potest quis Christianus de ventre satiando necnon vestiendo anxius et sollicitus esse. Sed nullam hic sollicitudinem agnoscit in sponsa Christus; siquidem, ait, ventrem ejus esse *acervum tritici*, q. d. horreum plenum tritico, adeoque certum et securum de sustentatione. Quod si quis objiceret, horreum illud exhauriri, eoque exhausto sponsam egere et fame interire posse, huic respondet mox adjunctis verbis, cum ait, *acervum liliis vallatum ac munitum esse, ut nequaquam exhauriri, minus expoliari queat.* At quæ præsidia in liliis? Quis unquam excitari vallum liliis vidit et floribus? Vidimus certe in hodierno evangelio in quo Christus Dominus excitaturus nos ad fiduciam de sustentatione nostra habendam, remittit nos ad lilia: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Hoc igitur est vallum, e liliis excitatum, quod tuetur nos contra inanem sollicitudinem, si consideremus Deum tam liberali manu sua vestire et nutrire lilia. Quanto enim magis nutriet nos filios suos? Cæterum quia lilia agri præter hoc documentum, plura alia tradunt, ea nunc considerabimus.*

I. Docent non confidere in mundo et rebus quæ a mundo diliguntur, veluti primo, in homine, quia uti clamare jussus est Isa. c. XL. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Qui a flumine abripitur, si flores aut herbas littori adhærentes manibus apprehendat, quasi vitæ retinaculum, deceptum se videbit; abrumpet enim herbas et ad fundum ibit. Similiter qui in homine confidit; quia *omnis caro fœnum.* Omnes morimur, et quasi herbæ evellimur.

Secundo, non confidere in generis splendore, formæ elegantia, corporis robore, opibus, doctrina. Hoc etiam clamat Isaias, loco cit. *Omnis gloria ejus quasi flos agri. Easiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia Dominus sufflavit in eo.* Inter flores campi unus altero eminentior et elegantior est, pari tamen conditione demetuntur omnes, et inter sese corruentes ita miscentur, ut non sit facile unum ab alieno discernere: ita inter ho-

mines, dum vivunt magna sunt discrimina; unus altero formosior, robustior, nobilior, ditior et doctior est, attamen falx mortis omnia coæquat: unde mortuorum ossa jacent in cœmeterio inter se confusa, ut nulla ratione discerni possit nobilis ab ignobili, etc. Videre istud fuit in exercitu Sennacherib, qui cum florum instar latissimum campum operiret, utpote centum octoginta quinque millia, (IV. Reg. XIX.) per angelum una nocte interemptus fuit, et ut notant Hebræi, apud D. Hieronym. et Lyran. IV. Reg. XIX. D. Thomas, in opusculo de erud. princ. lib. III. cap. VII. et alii, occulto igne combustus et redactus est in cinerem (ut indicari videtur Isa. X. ubi eam stragem illi prædicens, ait: *Succensa ardebit quasi combustio ignis*) ita ut ex armis, loriceis et thoracibus nil deflueret nisi cinis. Stabant prius in acie diversi ordinis, dignitatis et splendoris milites, duces, chiliarchi, centuriones, vexilliferi, decuriones, gregarii, postea nihil nisi cinis supererat, et in hoc minime discerni poterat, quis dux, quis decurio vel gregarius miles fuisset. Hoc vero annon contigit aliis quoque hominibus? « Quis discernat species mortuorum? inquit S. Ambrosius, lib. de Nabuth. c. I. Sed aperi terram, et si potes, divitem deprehende: eruderato paululum post tumulum, et si cognoscis, egentem argue, etc. »

Tertio, non confidere vel: *Sperare in incerto divitiarum*, ut ait apostolus, I. Tim. VI. quia S. Jacobus, cap. I. epistolæ suæ inquit: *Dives in humilitate sua* (se contineat vel gloriatur) *quoniam sicut flos feni transibit. Exortus est enim sol cum ardore et arefecit fœnum et flos ejus decidit et decor vultus ejus deperit: ita et dives in itineribus suis marcescet.* Primo enim, uti flos æstu solus cito exsiccatur et arefit; ita et divitiæ cito auferuntur si non incendio, naufragio, rapina; certa saltem morte: deinde, sicut flores feni, dum virent, dulces sunt; ubi exaruerunt, amarescunt, (unde Cato suasit: *Fœnum ne serio seces*, apud Plin. lib. XVIII. c. XXVIII.) ita divitiæ dulces sunt cum acquiruntur, sed amarescunt cum perduntur: tertio, sicut flores campi oculos nostros, non ventrem nostrum pascunt, sed cibus fiunt pecorum; ita divitiæ avari, aurum et argentum, torques et monilia, oculos ejus pascunt, non mentem, imo sæpe nec ventrem, sed devorantur ab extraneis, ut testatur Ecclesiastes, cap. VI. *Est, inquit, et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus divitias et substantiam et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas et miseria magna est.*

Quarto, non superbire in vestitu; siquidem Domino teste unius floris decor superat omnem Salomonis ornatum. Superat autem primo, quia is naturalis, hic fictitius est: secundo, quia is vivus, hic mortuus: tertio, quia is longe subtilior et artificiosior; colores habet vivaciores, odorem nativum spargit nobilissimum, denique artificem habet Deum. Quanta in uno flosculo et quam miranda artificia? Vanus est igitur et futilis omnis vestium ornatus, quandoquidem superatur vel ab agresti flore. Confusi fuerunt turpiter magi Pharaonis, quod ciniphes seu culices minutissima animalcula efficere suis præstigiis non possent, Exod. VIII. Quomodo non erubescat mundus de superbia sua, qui omni suo ingenio et novis vestium inventionibus eo pertingere non potest ut vel agrestis flosculi gloriam adæquet? Jam ergo sicut indignum est viro, comi et ornari; quia hoc mulierum esse dicitur: ita indignum est mulieribus superflue exornari et coloribus fucari; quia hoc florum est.

Quinto, non confidere vitæ, quantumvis robustæ et sanæ. Audimus enim quid dicat David, Ps. CII. *Homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic effloret: quoniam Spiritus pertransibit in illo et non subsistet et non cognoscat amplius locum suum, q. d. dies hominis brevissimi sunt et mutabiles, proinde similes diebus quibus fœnum in agro persistit. Nunquam enim fœnum integro anno permanet: nascitur vere et mox in æstate metitur ac colligitur. Et sicut fœnum non toto illo tempore, quo est in agro, floret, sed mane floret et vespere arecit: sic etiam homo brevi tempore vivit et multo brevior durat in vigore et flore adolescentiæ, moxque arecit in senectute. Cognovit hoc et gentilis Plinius, qui lib. XII. c. I. scribit: « Reliqua usus alimentique gratia genuit natura; ideoque sæcula annosque tribuit iis, flores vero odoresque in diem gignit magna (ut palam est) admonitione hominum, quæ spectatissime floreat, celerime marcescere. » Accedit perpetua mutatio, qualis etiam cernitur in floribus, qui initio colorem vividum, paulo post lividum acquirunt et tandem contrahunt rugas, omnemque omnino colorem perdunt, cum arecunt; ita homines in adolescentia virent ac vigent robore, ingenio, forma, hilaritate animi; in senectute deficiunt et corrugantur, ita ut se amplius vix agnoscant, tandemque appropinquante morte omnem prorsus decorem, existimationem, vires, prudentiam, lætitiæ amittunt. Quod idem David, Psal. LXXXIX. exposuit, cum ait: *Mane sicut herba transeat, (id est transibit) mane floreat et transeat: vespere decidat, induret, et arecat: et S. Job, c. XIV. Quasi flos egreditur, inquit, et con-**

teritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Septuaginta vertunt: *Tamquam flos efflorescens decidit*; ut indicent hominem dum adolescit etiam, paulatim mori et decidere, non solum cum infirmatur, quia etiam dum juvenescit, vita ejus consumitur: sicut vita floris, etiam dum efflorescit. Hinc verissime dixit Deus Adamo: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Eodem jure Dominus gramen hic, et lilia appellavit et fœnum, quia scilicet hodie floret ac viret, cras demessum arecit: hodie liliū est, cras fœnum. Similiter dicere potuit apostolus I. Cor. XV. *Quotidie morior.* Væ igitur cæcis mortalibus qui dum moriuntur, mortem non considerant, et vitam unius diei sic amant, quasi esset æterna: et vitam vere sempiternam sic contemnant, ac si esset unius diei et pro nihilo habenda.

II. Docent confidere in Deo; quod maxime intendit Dominus in hodierno evangelio. Videte enim obsecro, providentiam divinam in minimo etiam flosculo. Dedit illi Deus partes integrantes et membra corpori proportionata: dedit illi organa ad certas functiones salutis totius necessarias destinata, veluti corpus porosum ad succum atrahendum et disperendum; radicem in fibras divisam, qua solo affigatur: culmum erectum, ne in terra fœdetur et putrescat: firmum, ne a tempestate rumpatur: corticem duriorē vel aculeis munitum contra frigus et æstum rerumque incurrentium læsiones: ramulos et folia adjecta ad ornatum et tutamen, vestitum ornatissimum, supra ornatum Salomonis regium; plurimis odoris fragrantiam addidit, omnibus saporem gratissimum seu bestiis, seu hominibus, denique vim medicam, quodque maximum est, vim speciei generativam, semen. Quanta in uno flore beneficia? In flore, inquam, qui cras metitur et latur bestii, vel in clibanum mittitur. Quid igitur non præstabit homini, quem ad sui imaginem et cœli hæredem fecit?

Nec vero prætereundum, loqui Dominum expresse de liliis, non campi, sed agri, quæ pro zizaniis habentur, adeoque in clibanum mittuntur. Scimus autem ex Matth. XIII. per zizania intelligi reprobos, qui degunt inter triticum seu bonos. Jam si zizania, si reprobi multoties ita vestiuntur bonisque hujus mundi cumulantur a Domino, qui postea in gehennam abjiciuntur: quanto magis boni et electi, qui Dei voluntatem faciunt, sperare in ipsum debent, et bona omnia expectare? Si Neronem, Domitianum, Diocletianum aliosque improbissimos, mundi prosperitatibus ita cumulavit, quomodo amicorum suorum obliviscetur?

III. Docent rationem proficiendi et crescendi:
IV. PARS ÆSTIVALIS.

in bono, id quod nos advertere jubet Dominus cum ait: *Considerate lilia agri quomodo crescunt.* Quomodo ergo crescunt? Primo, singulis momentis, tam noctu, quam interdiu sese extendendo, tametsi ita sensim, ut nemo advertere possit, neque enim crescere, sed crevisse videmus gramen et flores. Similiter et nos crescemus, si quotidie vel parum vitii extirpemus, et virtutis implantemus, sic enim sensim proficiemus, ut post aliquot annos deprehensuri simus, nos revera profecisse, quamvis non proficere nunquam adverterimus. Faciebat hoc apostolus, qui ad Phil. III. ait: *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor.* Anna filio suo Samueli juxta ætatis et stature ejus incrementum solebat statutis temporibus tunicam majorem et majorem afferre: ita Deus flores secundum varia eorum incrementa vario colore ac splendore vestit, quem per varia foliorum integumenta sensim manifestat, donec ad perfectam mensuram et pulchritudinem adducat. Eodem modo nos una cum ætate crescere in virtutibus et de virtute in virtutem decet, donec ad christianam perfectionem veniamus.

Secundo, succum e terra atrahendo, vel potius e nubibus, quasi e terræ uberibus. Ita crescemus nos sugendo lac spirituale, doctrinæ evangelicæ et sacramentorum, præsertim eucharistiæ, juxta id I. Petr. II. *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Experimur sæpe fruges undique consistere, omnique incremento destitui, cum post duas vel tres hebdomades æstu continuato nulla pluvia fuit. Et quid fiet illis hominibus, qui per duos vel tres menses nullam unquam pluviam doctrinæ salutaris seu sacræ concionis hauserunt? Indignamur nos illis frugibus quæ non crescunt. Nobis ergo non indignabitur Deus, si in virtutibus et sapientia profectum non faciamus?

Tertio, sustinendo tempestates, his enim dum agitantur plantæ, consolidantur et crescunt. Ita Christianus crescit persecutionibus si eas fortiter sustineat. Hinc Augustinus, in Psal. LX. ait sub initium: « Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus. » Persecutiones, electorum cibus sunt. Hinc de viro bono dicit Jeremias, Thren. III. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Saturabitur, inquit, quasi cibo optatissimo. Patuit in Israelitis, qui tanto magis multiplicabantur et augebantur in Ægypto, quanto magis affligebantur, non secus ac cibo